

que vult ut precium constituatur secundum equalitatem valoris rei. Si ergo vel precium excedat quantitatem valoris vel e converso res excedat precium, tollitur iusticie equalitas. Ideo [D, 224<sup>va</sup>] carius vendere aut [G, 113<sup>r</sup>] vilius rem quam valeat est secundum se iniustum et illicitum. Et sic patet quomodo non potest dici empicio secundum se et proprie sed pocius proximi deceptio, ut dictum est supra post THOMAM<sup>223</sup>, de empicione secundum se. Et idem dicendum in empicione sub condicione. Quod probatur per glosam ultimam, c. *Conquestus*, *Extra*, *De usuris*, ubi dicitur: *Si vendo tibi fundum iusto precio ea lege ut, quandocumque<sup>2</sup> solverem tibi precium quod michi dedisti, fundus ad me revertatur ... In isto casu, iste lucratur fructus, alias si modicum esset precium, presumitur contractus esse in fraudem usurarum<sup>224</sup>*. Ad hoc *Extra*, *De empicione et vendicione*, *Ad nostram*<sup>225</sup>. Et in isto casu dicit BERNARDUS, *Extra*, *De pignoribus*, *Illo vos*<sup>226</sup> etiam in glosa: *Si quis rem vendit eo pacto cum quandocumque precium restituerit, rem ipsam recipiat, emptor lucratur fructus perceptos quousque pecuniam recipiat<sup>227</sup>*. Ad hoc c. *De pactis* inter emptorem et venditorem, lege *Si fundum*<sup>228</sup>. Sed quod in predicto contractu, quem dicunt reempcionis, non mutuatur iustum precium est notorium per evidenciam facti, non indigens probacione, ut *Extra*, *De accusacionibus*, *Evidencia*<sup>229</sup> et *De vita et honestate clericorum*, *Vestra*<sup>230</sup>. Cum irregulariter recipitur in obligacione res maioris precii et quod in proximo casu, supra in c. *Conquestus*<sup>231</sup>, taliter emens sub condicione lucratur fructus, non est mirum ex quo

<sup>2</sup> quandocumque] quamcumque G

223. Cf. *supra*, p. 179-180 et p. 185.

224. *Decret. Greg. IX cum glosis*, l. V, dist. XIX, c. 8 (*CJCa*, II, 1738).

225. Cf. *supra*, n. 167.

226. *Decret. Greg. IX*, l. III, tit. XXI, c. 4 (*FRIEDBERG*, II, 526).

227. *Decret. Greg. IX cum glosis* (*CJCa*, II, 1143).

228. *Digestorum* l. II, tit. XIV, c. 36 (*CJCI*, I, 60): «PROCLUS, libro quinto *epistularum*: Si cum fundum meum possides, convenisset mihi tecum, ut eius possessionem Attio traderes: vindicantem eum fundum a te non aliter me conventionis exceptione excludi debere, quam si aut iam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset et per te non staret quo minus traderes».

229. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. I, c. 9 (*FRIEDBERG*, II, 734). Emprunté à *Glosa interlinearis super Genesim*, IV, 10 (*BS*, t. I, col. 117-118): «Evidentia patratu sceleris non indiget clamore accusatoris».

230. *Decret. Greg. IX*, l. III, tit. II, c. 7 (*FRIEDBERG*, II, 456): «ALEXANDER III: ... Ceterum aliud est crimen notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo presbyter canonice condemnatur ...».

231. *Ibid.*, l. V, tit. XIX, c. 8 (*FRIEDBERG*, II, 813): «ALEXANDER III: Conquestus est nobis C. clericus praesentium lator quod licet de quadam terra, quam pater suus vobis obligavit, sortem vestram deductis expensis receperitis, terram tamen ipsam non sine derogatione vestrae salutis, honestatis et famae nihilominus detinetis. Inde est quod Discretioni vestre per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus, si terram ipsam titulo pignoris detinetis, et de fructibus eius sortem vestram recepistis, praedictam terram clerico memorato dilacione et appellacione cessante reddatis, et in pace et in quiete dimittat, nisi forte terra ipsa de feudo sit monasterii vestri».

totum<sup>a</sup>, sive iustum precium solvit et sic in se suscipit periculum rei empte, ita quod si per alluvium sive cauma res periret in toto vel in parte, sibi periret et non venditori. Nec posset pecuniam solutam pro illa a venditore repetere. Secus presumitur in casu supra dicto, ubi non mercatur iustum precium, quia, re per aliquem casum pereunte, nichilominus recuperare nituntur pecuniam mercatam sine aliqua diminucione et sine supportacione oneris [G, 113<sup>v</sup>] dampni.

29. Et rogo, ex quo sic est quod nullus vult sibi vendere rem carius quam valeat, nec emi sive ut ematur res sua vilius quam valeat, nonne ergo merito nullus debet alteri vendere carius, nec emere ab eo vilius quam valeat? Utique, quia hoc est ius nature: *quod tibi vis fieri, etc. et Matth., VII<sup>o</sup>: Omnia que vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis*<sup>232</sup>. De quo etiam secundum THOMAM supra dictum est<sup>233</sup>. Commoneo ergo consciencias omnium sic contrahencium vel ipsis favencium penitere et desistere, et de iusto precio [F, 136<sup>r</sup>] vivere et labore, quia peccatum non dimittitur nisi ablatum restituitur<sup>b</sup>, ut *Extra, De usuris, Cum tu*<sup>234</sup>. Et ibi vide qualiter restitucio est facienda. De qua tamen etiam patebit infra. Talibus enim iuri naturali contrariis immorari vergit in periculum salutis eterne, ut *Extra, De consuetudine, c. ultimo*, ubi dicitur: *Nemo sane mentis intelligit iuri naturali, cuius transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, que dicenda est in hac parte verius corruptela, posse aliquatenus derogari, etc.*<sup>235</sup>, prout dictum est supra. Nec excusat temporis prolixitas, *cum tanto graviora sunt peccata, quanto diucius infelicem animam detinent alligatam*<sup>236</sup>, *quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget. Extra, De consuetudine, Cum tanto*<sup>237</sup> et *De symonia, Non satis et c. Sicut*<sup>238</sup>. Non enim debet esse melior condicio furis propter furti continuacionem, ut *Digesta, De furtis inficiando,*

<sup>a</sup> totum] fructum G

<sup>b</sup> nisi ablatum restituitur] etc. G

232. *Matth.* 7, 12.

233. Cf. *supra*, p. 185.

234. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XIX, c. 5 (FRIEDBERG, II, 812): «ALEXANDER III: ... Super his fraternitati tue taliter respondemus, quod, sive ante sive post interdictum nostrum, usuras extorserint, cogendi sunt per poenam, quam statuimus in concilio, eas his, a quibus extorserint, vel eorum heredibus restituere, vel, his non superstitibus, pauperibus erogare; dummodo in facultatibus habeant, unde ipsis possint eas restituere ...».

235. *Ibid.*, l. I, tit. IV, c. 9 (FRIEDBERG, II, 41).

236. *Ibid.*, c. 11 (FRIEDBERG, II, 41).

237. *Ibid.*, l. V, tit. III, c. 8 (FRIEDBERG, II, 750-751).

238. *Ibid.* (FRIEDBERG, II, 750-751): «ALEXANDER III, in concilio Turonensi: Non satis... Prohibemus igitur, ne ab iis, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur. Nec prioratus vel capellaniae quaelibet monachorum aut clericorum annua distractione vendantur. Nec ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione ullum pretium exigatur. Hoc autem simoniacum esse sanctorum Patrum auctoritas manifeste declarat...»; *ibid.*, c. 6 (FRIEDBERG, II, 750): «LUCIUS, PAPA: Sicut enim simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit,

1, 4, 12 ←  
5, 3, 6  
Sicut  
750

§ *Infans*<sup>239</sup>. Et sic patet quod solum *veritas liberabit*, ut *Joh.*, VIII<sup>o</sup>, ut dixit ipsa *veritas Joh.*, XI et XIII: *Ego sum via, veritas et vita*<sup>240</sup>. Non dixit: ego sum *consuetudo* sive *multitudo*, etc. De quo per GREGORIUM, VIII di., *Si consuetudinem*<sup>241</sup> et *pulcre* in c. sequenti<sup>242</sup> et quasi per totam distinctionem.

30. Insuper patet quomodo, in dicto contractu, nulla valeat [D, 224<sup>ab</sup>] dici *empcio* secundum se vel sub *condicione*, nec *eciam* per *accidens*, quia, secundum *illam*, *venditor* potest recipere *precium rei* et *eciam* aliquid pro *damno* quod ex *vendicione* incurrit, quia *illa est natura illius empcionis*, ut dictum est supra secundum THOMAM<sup>243</sup>, sed sic non fit hic ut no-[G, 114<sup>tum</sup>] est. Ex hiis patet quomodo *minus bene quidam*, *predictum contractum defendere volens fore licitum*, in *scriptis suis incipit sic inquit: Dicturus aliqua de censibus ad reemendum vel ad tempus, an tales sint liciti vel non, primo pono aliquas descripciones huius quod est usura*. Respondeo<sup>c</sup>. In quibus quidem verbis suis illum *contractum presupponit esse reempcionis*. Quod patet utique *falsum*, cum ipsum nulla *empcio precesserat*, ut *sufficenter dictum est supra*. Quare omnes *posiciones et probaciones eiusdem super eodem fundamento*

<sup>c</sup> Respondeo *om. G*

ita sine *dilatione* mox, ut *eius signa per aliquam personam claruerint*, de *ecclesia Dei* debet *eliminari et repelli*. *Petrus enim primus pastor ecclesiae non alicuius hominis attestacione sed sancti spiritus inspiratione Simonis interiora recognoscens sine aliqua audientia, terribili eum et repentina morte mulctavit*.

239. *Digestorum* l. XLVII, tit. II, lex 68, §2 (CJCI, I, 822): «*Infans apud furem adolevit: tam adulescentis furtum fecit ille quam infantis, et unum tamen furtum est: ideoque dupli tenetur, quanti umquam apud eum plurimi fuit. Nam quod semel dumtaxat furti agi cum eo potest, quid refert propositae quaestioni? Quippe si subreptus furi foret ac rursus a fure altero eum recuperasset, et etiam si duo furta fecisset, non amplius quam semel cum eo furti agi posset, nec dubitaverim quin adulescentis potius quam infantis aestimationem fieri oportet, et quid tam ridiculum est quam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare?».*

240. *Jn* 8, 32 et 14, 6.

241. *DG*, pars 1a, dist. VIII, c. 5 (FRIEDBERG, I, 14): «*GREGORIUS VII: Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est quod Dominus dicit: 'Ego sum veritas'. Non dixit: ego sum consuetudo, sed veritas. §1. Et certe (ut B. Cipriani utamur sententia) quaelibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est omnino postponenda, et usus, qui veritati est contrarius, abolendus est*».

242. *Ibid.*, c. 6 (FRIEDBERG, I, 14-15). Emprunté à AUGUSTINI *De baptismo contra Donatistas*, l. III, c. V, n° 8 (PL 43, 143): «*Qui contempta veritate praesumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cuius ecclesia eius instruitur. Nam Dominus in evangelio: 'Ego sum, inquit, veritas'; non dixit: ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, veritati cedat consuetudo. Revelatione ergo facta veritatis cedat consuetudo veritati, quia et Petrus, qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem praedicanti. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem, quam consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit*».

243. Cf. *supra*, p. 186.

223 h v. 6

per ipsum posite sunt nisi tele aranee respectu fundamenti quod est Cristus Ihesus, cum PAULUS dicat: *Fundamentum aliud nemo potest ponere preter illud quod positum est, quod est Cristus Ihesus*<sup>244</sup>, quia *ubi Cristus non est fundamentum, nullius boni operis est superedificium*. Sunt verba GREGORII, Ia, q. Ia, *Cum Paulus*<sup>245</sup>. Videbitur tamen infra magis quomodo predictus scribens in suis fictis verbis, fundans se super arenam consuetudinis et verius corruptele precipcionis et tradicionibus humanis, linit parietem absque temperamento sacre scripture. Nec potest dictus contractus dici comodatum, eadem ratione. Nec locatum, quia illud quod usu consumitur sicut pecunia non locatur, nisi ad pompam ut supra<sup>246</sup>. Qualiter non fit in dicto contractu. Nec pignus, quia in pignore perceptum ratione ipsius, debet computari in sortem. Qualiter non faciunt huiusmodi contractum celebrantes. Meretur ergo dici contractus ad similitudinem istius quem iudeus celebrat, mutans alicui pecuniam, ultra sortem recipiendo, petens nichilominus aliqua bona sibi, quasi loco pignoris obligari pro eadem pecunia [F, 136<sup>v</sup>] capitali et ea quam ultra sortem accipit. Sicut dando decem pro uno sibi ultra solvendo et, in signum certitudinis sive certe solucionis faciente, recipiendo aliqua bona, quasi sibi in pignus obligata.

31. Nec excusat cum dicitur: tamen accipiens pecuniam multum iuvatur et per eam lucratur, *quia ista utilitas ... non est ex vendente, sed ex condicione ementis. Nullus autem debet vendere alteri* [G, 114<sup>v</sup>] *quod est suum*, secundum THOMAM, supra de empzione secundum accidens<sup>d247</sup>. Ymmo, in veritate, substancia eius magis deterioratur et minuitur ex infeccione usure, cum inceperit domum ipsius intrare, ut dictum est supra secundum CRISOSTOMUM<sup>248</sup>. Similiter non excusat quod dicitur quod ille qui accipit mutuum, voluntarie tradit ultra sortem. De quo dic ut supra secundum THOMAM<sup>249</sup>. Nec excusat quod dicunt quod in voluntate accipientis est rescindere istum contractum et non dantis, quia, ut supra dictum est, illud non facit empcionem sub condicione, quod recipiens potest, soluta pecunia, rem recuperare, sed eciam requiritur quod ex parte dantis sit iustum precium solutum, ut dicitur in glosa c. *Conquestus*, supra *De usuris*<sup>250</sup>, et quod periculum rei ad ipsum pertineat, si voluerit iuste aliquid percipere ultra sortem, qualiter non fit hic.

Saint-Germain-en-Laye.

P. DE VOOGHT:

(à suivre)

<sup>d</sup> secundum accidens] quod est accidens G

244. I Cor. 3, 11.

245. DG, pars 2a, causa I, q. I, c. 26 (FRIEDBERG, I, 369). Emprunté à GREGORII MAGNI *Epistolae*, l. X, ep. XLIX (PL 77, 980).

246. Cf. *supra*, p. 182.

247. Cf. *supra*, p. 186.

248. Cf. *supra*, p. 188.

249. Cf. *supra*, p. 181.

250. Cf. *supra*, p. 207.